



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

11. Intemperantiæ remedia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

ditas facta est? cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acer-
 rimas gentes, bellicosasq; hostibus tradidit: hæc multorum annorum,
 pertinaci bello defensa mœnia patefecit: hæc contumacissimos, & ju-
 gum recusantes, in alienum egit arbitrium: hæc iniuctos acie, mero do-
 muit. Alexandrum, cuius modo feci mentionem, tot itinera tot præ-
 lia, tot hiemes, per quas victa temporum locorumq; difficultate, transi-
 serat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt: in-
 temperantia bibendi, & ille Herculanæ ac fatalis scyphus condidit.
 Quæ gloria est capere multum? Cùm penes te palma fuerit, & propi-
 nationes tuas strati somno, ac vomitantes recusauerint, cùm superstes
 toti consimio fueris, cùm omnes viceris virtute magnifica, & nemo
 tam vini capax fuerit; vinceres à dolio M. Antonium, magnum
 virum, & ingeny nobilis, quæ aliarum perdidit, & in externos mores ac
 vitia non Romana traiecit, quàm ebrietas, nec minor vino Cleopatra
 amor? Hæc illum res hostem reipublica, hæc hostibus suis imparem red-
 didit, hæc crudelem fecit, cùm capita Principum ciuitatis cœnanti re-
 ferrentur, cùm inter apparatusissimas epulas luxusq; regales ora ac ma-
 nus proscriptionum recognosceret cùm vino grauis sisires tamen sangui-
 nem. Intolerabile erat, quod ebrius faciebat, etiam si sobrius faceret:
 quando intolerabilius, quod hæc in ipsa ebrietate faciebat? Ferè vinolen-
 tiam crudelitas sequitur: violatur enim, exasperaturq; sanitas mentis,
 quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad mini-
 mam radij solis offensionem: ita ebrietates continua efferant animos.
 Nam cùm sæpe apud se non sint, consuetudine insania durat a vitia, vino
 concepta, etiam sine illo valent.

Hinc demonstrat Philosophus, illas, quæ voluptates vocan-
 tur, ubi transcenderint modum, pœnas esse; ego ostendo etiam pœ-
 nas mereri; mereri hostem, mereri famem, mereri pestem. Quid
 mirum, si pacis & belli consilia in irritum cadunt, quando causæ
 pacis impetrandæ, & belli finiendi non tolluntur? Quid de fame
 queruntur saturi? Sanè inter tot mala in publico ludu nondum
 cessat crapula. In immensum crescit pretium panis, & æstimatio
 annonæ, & instituuntur adhuc quotidiana comestationes.
 Quod non miror, potens est consuetudo vitiorum. Illud admi-
 ratione dignissimum est, nondum puniri intemperantes, tabaco,
 fumo, cereuisia, vino, non tantum in singulos dies, sed etiam in
 singulas

XI.

singulas horas immerfos; non appellari de flagitio, quo sanitas, natura, DEVS offenditur; & ob quod pagi, vrbes, Prouinciæ affliguntur, omnia ad exitium fugiendum consilia exquiruntur; de vera & vnica malorum tollenda causa, hoc est, de euitandis peccatis, non satis seria, constans, efficax est deliberatio, non executio; reduuiam curamus, incurata manet tabes; lenimenta dolori conficimus, hæret in vris causa morbi; riuum siccamus, non obturato fonte; discutimus fumum molestum oculis, ignem fouemus vrentem viscera. Seiungi illa non possunt, quæ nexu indissolubili sunt deuincta, culpa & pœna. Admittenda sunt, quæ misericorditer DEVS coniunxit, pœnitentia & venia. Dolendum non de pœna, quæ salubris, sed de culpa quæ exitiabilis est. Lachrymas multis extorquet pœna, quæ sentitur; sed abest detestatio culpæ, quæ blanditur. Quàm multi dolent, non quia in sanitate & iustitia, in ieiunijs, in orationibus, in templis, & spiritualibus exercitijs DEO seruire nequeunt, sed quia opes, deliciæ, epulæ, comotationes, cæteræ cupidines, hostium aduentu, sunt excussæ. Ad hoc orant, ad hoc anhelant, vt per pacem, ad cupiditates redeant explendas, ne publicis calamitatibus turbentur priuatæ voluptates. Quo in morbo, si ipsi jacent, quorum esset curare, sera est spes sanitatis. Quo pacto iudex sententia sua damnabit eos, quos confirmat vita sua? Siquidem, vt Philo dixit: *absurdum est, criminibus teneri eos, qui alijs iura exaquant & administrant.*

Stob. ferm.
309.

XII.

Nec est, quod quis dicat, vbique vigere hoc vitium gulæ; nusquam non agitari conuiuia; apud Ethnicos & DEI hostes maximos, temulentia esse peruicaciorem furorem; & fatentur eorum non pauci, prouincias suas magis Baccho, seu Cereri, seu Semeles filio, quàm Thebas ipsas esse sacratas. Cur igitur ad eos fames non migrat? cur hostis illorum agros non depopulatur? cur nos plectimur, illis est impunè, quos sibi totos subiecit venter, *tamquam mediastinos improbos quotidianis laboribus inservientes,* vt Theognis ait? Imprimis disputari potest, vbi hoc vitium magis inualescat. Tanta enim reperitur etiam apud Christianos exorbitatio, vt videantur cum Apicijs & Sardanapalis velle de luxuria certare. Deinde demus, maiores alibi excessus inueniri, & viuere

Idem Stob.
ferm. 17.

allogon

X

& viuere